



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Theologiæ Speculativæ Scholasticis Prælectionibus Et Exercitiis Accommodatæ Libri IV

Haunold, Christoph

Ingolstadii, 1678

Contr. III. Vtrum Angeli sint ex intrinseca ratione naturaliter indestruibiles.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82733](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82733)

exercere posset, quas non eadem facilitate eliceret sine corpore, profecto & insipienter & dure egisset Natura, alligando ad tempus animam corpori, & velut carceri vel vinculis mancipando sine culpa sua, unde aggravaretur sine ullo emolumento.

810. Supponendum. 4. Omnem substantiam spiritualementem possibilem esse intellectivam, cujus probationes huc non spectant. His suppositis

Probatur Conclusio. Substantia intellectualis in tantum potest constare ex materia & forma, in quantum materia servit ad eliciendas operationes dependentes ab organis: sed substantia pure spiritualis nullas elicit huiusmodi operationes: ergo nulla substantia pure spiritualis potest constare Materia:

DICES. Defacto Angeli recipiunt species intentionales, ad cognoscenda objecta corporea, & tamen carent organis: ergo adhuc intelligi posset, quâ ratione materia spiritualis deserviret Angelo, ad recipiendas species objectorum corporeorum, etiam si careret organis.

811. Verum ex hac replica confirmatur potius probatio. Si enim defacto Angeli ad species illas recipiendas non habent opus subiecto distincto à forma; ergo si daretur substantia composita, forma ipsa, vtpote nobilior quàm anima humana, esset sufficientissima ad recipiendas species: ergo adhuc materia esset tota inutilis.

CONTROVERSIA III.

Utrum Angeli sint ex intrinseca ratione naturaliter indestruibiles.

812. Prima opinio vult Angelos esse naturaliter, & sine ullo miraculo, destruibiles à Deo, adeoque solum extrinsecè, hoc est, supposito semel decreto divino non destruendi, esse indestruibiles. Ita Vasquez & Martinonius.

813. Secunda asserit, fore miraculum & contra naturam Angelicam, si destruerentur, adeoque ex intrinseca ratione habere jus ad perpetuam conservationem, eo modo quo Deus per Iustitiam Providentialem tenetur satisfacere exigentijs rerum, ut partim superius declaratum est, partim de Incarnatione dicitur. Ita communis cum S. Thoma.

814. Tertia sententia singularis est P. Ariaga, asserentis, Angelos, qui defacto existunt, esse ex intrinseca ratione indestruibiles, & hoc vnicè probari posse ex Patrum testimonijs, & ex congruentia, quia non repugnat Angelus connaturaliter æternum exigens durare: est autem omnino cogitandum, quod Deus defacto produxerit Angelos tales, cum defacto decreverit nunquam destruere. Nihilominus existimat insuper esse posibles Angelos, qui non habeant huiusmodi exigentiam durandi æternum, aut ullo certo tempore. Item esse posibles Angelos, qui tantum exigant durare per Annum, aut Men-

sem. Horum omnium reddit rationem sibi familiarem, quia non potest ostendi clara repugnantia.

815. Dicendum & sentiendum est cum secunda sententia, quæ efficaciter inferitur ex verbis Leonis X. in Conc. Lateran: sess. 8. ubi damnantur, qui dicunt, Animam hominis esse mortalem: quâ tamen Angeli sunt perfectiores.

816. Non omnes tamen rationes quæ afferuntur, convincunt intellectum. P. Dekenius probat hoc modo. Omne Ens, quod ex Natura sua à solo Deo in esse & conservari pendet, naturâ suâ indestruibile est, nam enim Deus influxum conservativum subtrahere posset, per hoc tamen non esset propriè causa desitionis, sed solum non esset causa conservationis; licet antequam res sit, Deus propriè loquendo non est causa ipsius non esse rei, sed tantum non est causa ipsius esse. Hæc tamen probatio, dum vim facit in modo loquendi, non attingit scopum controversiæ. Adversarij plus non contendunt, quàm desitionem conservationis non fore miraculosam, sive deinde Deus diceretur causa desitionis sive non.

817. P. Martinus Esparza ultra communem probationem, postea referendam, tres alias adducit, quarum duæ priores ab adversarijs non difficulter eludi possent, nisi magis promoverentur. Probat ergo. 1. Angelus naturaliter cognoscit, possibilem semper esse ulteriorem sui conservationem, eamque ita sibi propositam naturaliter appetit. Quia vnumquodque naturali necessitate propendit in suum esse & conservationem, quantum possibile est, tam per appetitum elicatum, si habet intellectum, quàm per innatum. Ne igitur perperam & ad puram torturam indita sit Angelo talis cognitio & appetitio, necesse est, ut ejus substantia sit naturaliter indefectibilis, æternumque manens.

818. Responsuri sunt adversarij, Angelos cognoscere quidem possibilem suam conservationem æternam, sed hanc sibi esse indebitam, & merum Beneficium Dei: appetere etiam illam, sed sine tortura, sicut appetunt alia beneficia, quorum spem magnam habent, v.g. perseverantiam in bono: & sicut homo ex fide cognoscens visionem Dei possibilem, appetit eam, sed sine tortura. Quin immò ea cum tortura appetimus, quæ nobis debentur & negantur. Neque satisfacere instantiæ datæ, si dices, aliam rationem esse ipsius existentia, quæ cum sit fundamentum omnium bonorum, magis torqueret ejus appetitus, quàm appetitus aliorum bonorum, quibus negatis adhuc tamen gauderent Angeli bono existentia. Nam Visio beatifica appetitur non solum ut in se bona, sed etiam, quia est exclusivæ summæ miseriæ, cum homo sit in statu necessitatis habendi vel visionem Beatificam, vel æternam miseriæ, quam magis abominamur, quàm ipsam annihilationem: ergo deberet ejus appetitus magis torquere, quàm appetitus existentia.

819. Aliter

819. Altera probatio ejusdem Authoris est hæc: Angelus per Intellectionem cognoscit veritates necessarias ac indefectibiles, abstrahentes à loco & tempore, atque per amorem ad easdem afficitur: ergo natura Angelica est intrinsicè indefectibilis naturaliter. Est hoc argumentum e-riam S. Thomæ, secundo loco positum: de primo ejus argumento pronuntiat P. Esparza, se ejus efficaciam non assequi. Liceat mihi id ipsum dicere de præsentis. Et imprimis enervari potest ex principijs P. Esparza, qui docet, Veritates ob-jectivas æternas realiter non esse aliud, quàm ipsam æternitatem Dei; unde sic argumentari licet. Angelus non cognoscit naturaliter intuitivè æternitatem Dei, sed solum abstractivè, sicut ejusdem Immenstatem, Infinitatem &c. ergo eo- dem modo & non aliter cognoscit veritates æter- nas: ergo sicut ex cognitione naturali abstrac- ti-va Immenstatem, non arguitur Angelus esse na- turaliter Immensus: ita ex cognitione æternita- tis & æternarum veritatum, non licebit inferre, esse naturaliter æternum. Item sicut ex eo quod veritates æternæ sint essentialiter & indispen- sabiliter æternæ, non tantum à parte post, sed et- iam à parte antè, non licet inferre, Angelum esse indispensabiliter æternum à parte antè, ita nec inferri legitime poterit, esse æternum à par- te post.

820. Melius idem Author probat Conclu- sionem ex potestate Angelorum operandi honestè vel inhonestè. Nempe Angelis debetur ex natura rei potestas proxima ad actiones tum lethaliter peccaminosas, tum honestas & meritorias: atqui prioribus debetur ex natura rei pœna æterna, & posterioribus præmiu æternu; cum ergo non possit Angelus existere sine alterutra illarum o- perationum, repugnat etiam naturaliter, ut de- sinat aliquando esse, postquam semel existit. Fun- damentu hujus probationis declarabitur in tra- ctatu de merito.

821. Probatur denique sufficienter & clarè Conclusio argumento communi. Omnis res se- mel producta, tamdiu connaturaliter existit du- rare, quamdiu nullum ponitur illi contrarium, exigens directè vel indirectè destructionem il- lius: atqui Angelus nullum habet contrarium, exigens destructionem illius: ergo &c. Major probatur. Natura enim non intendit unquam per se & propter se malum, cujusmodi est delictio rei præexistens, sed semper agendo intendit al- liquod bonum, esto quandoque illud obtineri non possit, nisi simul aliquid destruat, propter impossibilitatem eorundem. Minor verò et- iam probatur. Nam Angelus non est compo- situs ex materia receptiva formarum contraria- rum, ut patet ex præcedente controversia: sed neque potest ab agente creato produci aliquod accidens, exigens destructionem Angeli: nam ad hujusmodi accidentis productionem præsup- poneretur ipse Angelus, utpote concurrere su- stentativè. Neque potest Angelus destrui ex re-

motione causæ conservativæ: conservatur enim à solo Deo, ubique præsentè, & nunquam defi- ciente. Denique non potest Angelus deficere, sicut quædam censetur deficere, dum incipit de- ficere finis ad quem unicè ordinatur ut medium: Angelus enim est productus gratiâ sui: ergo non est excogitabile caput, ex quo Angelus natural- iter destrui posset.

822. Obijcies. 1. Deus nullâ morali ne- cessitate tenetur ad conservandum hoc Univer- sum, sed eadem facilitate & indifferentiâ in actu primo posset totum Universum destruere, quâ il- lud conservat: ergo quod Angeli non destruan- tur, provenit ex mero libero Dei decreto. 2. Di- stinguendo consequens: provenit ex libero Dei decreto conformi tamen exigentiæ naturali An- gelorum, concedo: ex decreto nullam suppo- nente hujusmodi existentiam, nego consequen- tiam. Aliter etiam distingui potest. Provenit ex libero decreto, prout libertas opponitur ne- cessitati, concedo: prout opponitur justitiæ pro- videntiali, attendenti exigentias rerum, nego consequentiam: Sicut ergo Deus dicitur liberè concurrere cum igne ad comburendum, quia pos- set suspendere concursum, sicut fecit cum igne Babylonico, & tamen concurrat ex justitiâ pro- videntiali, & secundum leges naturæ, ac exigen- tiam ignis, forèque miraculum, si non concu- reret, ita quoque liberè conservat Angelos: quâ paritate usus est etiam Cyrillus lib. 8. thesauric. 2. *Quæ naturis, inquit, insunt, ea respectu Dei nihil sunt. quare sicut ignis combustivus quidem est, sed non Deo, sic etiam Angelus immortalis quidem est, sed non Deo.* Itaque non opponuntur inter se, sed bene coherent hæc duo: esse in actu primo indifferentem, nullaue necessitate teneri ad conservandos Angelos; & dari in Angelis exi- gentiam conservationis, quam Deus ut Author naturæ attendit absque vlla imperfectione, ut in superioribus dictum est.

823. Obijciuntur. 2. Quædam dicta Pa- trum, quibus asserunt, Angelos non Naturâ, sed Gratiâ esse Immortales. 2. Illos locutos esse contra asserentes, esse Immortales essentialiter, & hoc sensu usurpassè nomen *Naturæ*.

CONTROVERSIA IV.

Utrum Angeli possint inter se differre Specie.

824. Circa differentiam Angelorum inter se, quatuor quæri solent. 1. An sint possibi- les plures Angeli Specie diversi. 2. An suppo- sitâ possibilitate, defacto aliqui Angeli Specie differant. 3. An sint possibiles plures Angeli solo numero inter se diversi, & ejusdem speciei infimæ. 4. An positâ possibilitate diversitatis so- lum numericæ, defacto sint producti plures ejus- dem speciei. Non est autem intentionis aut in- stituti mei, instituire quæstionem philosophicam, de di-